



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Vtrùm inuocandi sint Sancti 44

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

electis Domini nostri Iesu Christi, & eorum consortibus, in Domino nostro Iesu Christo, id D. Augustinus fatetur adhuc sibi esse ignotum. quoniam S. scriptura nihil de eo commemorat. Quare nec nos sanè id perferuari & experiri poterimus. Hoc etiam liber Reformationis fatetur. Quamobrem cum hac de re neque Aduersarij, nec alius quiuis certi quid in medium proferre possit, nec liber Reformationis, quantum ad hanc quæstionem pertinet, meritò reprehendi potest.

## Quarta quæstio.

*Vtrum inuocandi sint Sancti.*

## CAP. XLIV.

**A**M ad id respondeamus, Vtrum sancti inuocandi sint, vt pro nobis orent. Ab hac opinione docet Liber homines abducendos esse, eo quod nullum habeamus ea de re mandatum Dei, atque idcirco non possumus esse certi, quod placeat Deo, cuius gratia nec ex fide fieri potest. Ad hæc oportet vt oratio nostra informetur iuxta formam eius orationis, quam Christus Dominus ipse nobis præscripsit, cui etiam cæteræ orationes scripturæ, quæ in psalterio & alias habentur, conformes sunt. Hæc autem forma docet nos in oratione nostra solum Deum Patrem nostrum cœlestem, & neminem præter ipsum inuocare. Tertio eiusmodi Inuocatio sanctorum semper vel adorationi Dei, vel inuocationi mediatoris Christi repugnat. Has causas in libro Reformationis positas, Aduersarij nondum refellerunt, neque vnquam refellere poterunt. Quare neque in hac quæstione habent cuius librum Reformationis accusent.

## Responsio ad obiectiones Aduersariorum in hoc articulo.

*Prima Pars, Quomodo sint venerandi Sancti.*

## CAP. XLV.

**C**ONTRA primæ quæstionis declarationem objiciunt Aduersarij librum Reformationis sanctorum honori derogare. Ac primum quidem in eo, quod sanctos mortuos, imò etiam emortuos appellet: quos tamen S. scriptura nō mortuos esse, sed dormire dicere solet. Quodque hac de causa dies illi, in quibus sancti Apostoli & martyres, ab hoc seculo feliciter transierunt, appellati sint dies natales, inde ab initio Ecclesiæ: eò quod diebus illis veraciter primum post multas arumnas in aliud seculum nati sint.

*Responsio.*

**S**acra scriptura loquens de Christo Domino nō veretur illū mortuū appellare, cuius imitationē quotidie in articulis Christianæ fidei nostre dicimus. *Credo in Iesum Christum, & qui mortuus est & sepultus.*